## *EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM*

I In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. 2
Hoc erat in principio apud Deum. 3 Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso
factum est nihil quod factum est. 4 In ipso vita erat et vita erat lux hominum. 5
Et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non conprehenderunt.

6 Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Iohannes. 7 Hic venit in testimonium
ut testimonium perhiberet de lumine ut omnes crederent per illum. 8 Non erat
ille lux sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9 Erat lux vera quae inluminat
omnem hominem venientem in mundum. 10 In mundo erat et mundus per ipsum
factus est et mundus eum non cognovit. 11 In propria venit et sui eum non
receperunt. 12 Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei
fieri, his qui credunt in nomine eius, 13 qui non ex sanguinibus neque ex
voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt. 14 Et Verbum caro
factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a
Patre plenum gratiae et veritatis.

15 Iohannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens: hic erat quem dixi
vobis qui post me venturus est ante me factus est quia prior me erat. 16 Et de
plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia; 17 quia lex per
Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. 18 Deum nemo
vidit umquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.

19 Et hoc est testimonium Iohannis quando miserunt Iudaei ab Hierosolymis
sacerdotes et Levitas ad eum ut interrogarent eum: tu quis es? 20 Et confessus
est et non negavit et confessus est quia non sum ego Christus; 21 et
interrogaverunt eum: quid ergo Helias es tu? Et dicit: non sum. Propheta es tu?
Et respondit non. 22 Dixerunt ergo ei: quis es ut responsum demus his qui
miserunt nos quid dicis de te ipso. 23 Ait: ego vox clamantis in deserto dirigite
viam Domini sicut dixit Esaias propheta. 24 Et qui missi fuerant erant ex
Pharisaeis 25 et interrogaverunt eum et dixerunt ei: quid ergo baptizas si tu non
es Christus neque Helias neque propheta? 26 Respondit eis Iohannes dicens: ego
baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit quem vos non scitis. 27 Ipse est qui
post me venturus est qui ante me factus est cuius ego non sum dignus ut solvam
eius corrigiam calciamenti. 28 Haec in Bethania facta sunt trans Iordanen ubi
erat Iohannes baptizans.

29 Altera die videt Iohannes Iesum venientem ad se et ait: "Ecce agnus Dei qui
tollit peccatum mundi. 30 Hic est de quo dixi post me venit vir qui ante me
factus est quia prior me erat. 31 Et ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur

Israhel, propterea veni ego in aqua baptizans." 32 Et testimonium perhibuit
Iohannes dicens quia "Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo et
mansit super eum; 33 et ego nesciebam eum sed qui misit me baptizare in aqua
ille mihi dixit: 'Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, super
eum hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.' 34 Et ego vidi et testimonium
perhibui quia hic est Filius Dei."

35 Altera die iterum stabat Iohannes et ex discipulis eius duo, 36 et respiciens
Iesum ambulantem dicit: "Ecce agnus Dei." 37 Et audierunt eum duo discipuli
loquentem et secuti sunt Iesum. 38 Conversus autem Iesus et videns eos
sequentes dicit eis: "Quid quaeritis?" Qui dixerunt ei: "Rabbi (quod dicitur
interpretatum magister) ubi habitas?" 39 Dicit eis: "Venite et videte". Venerunt
et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo; hora autem erat quasi
decima.

40 Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant ab
Iohanne et secuti fuerant eum. 41 Invenit hic primum fratrem suum Simonem et
dicit ei: "Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus); 42 et adduxit
eum ad Iesum. Intuitus autem eum, Iesus dixit: "Tu es Simon filius Iohanna; tu
vocaberis Cephas (quod interpretatur Petrus). 43 In crastinum voluit exire in
Galilaeam et invenit Philippum et dicit ei Iesus: "Sequere me." 44 Erat autem
Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri. 45 Invenit Philippus Nathanahel
et dicit ei: "Quem scripsit Moses in lege et prophetae invenimus, Iesum filium
Ioseph a Nazareth." 46 Et dixit ei Nathanahel: "A Nazareth potest aliquid boni
esse?" Dicit ei Philippus: "Veni et vide". 47 Vidit Iesus Nathanahel venientem
ad se et dicit: "De eo ecce vere Israhelita in quo dolus non est." 48 Dicit ei
Nathanahel: "Unde me nosti?" Respondit Iesus et dixit ei: "Priusquam te
Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te." 49 Respondit ei Nathanahel et
ait: "Rabbi tu es Filius Dei, tu es rex Israhel." 50 Respondit Iesus et dixit ei:
"Quia dixi tibi 'vidi te sub ficu' credis? Maius his videbis." 51 Et dicit ei: "Amen,
amen dico vobis videbitis caelum apertum et angelos Dei ascendentes et
descendentes supra Filium hominis."

2 Et die tertio nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi. 2
Vocatus est autem ibi et Iesus et discipuli eius ad nuptias. 3 Et deficiente vino
dicit mater Iesu ad eum: "Vinum non habent". 4 Et dicit ei Iesus: "Quid mihi et
tibi est mulier? Nondum venit hora mea." 5 Dicit mater eius ministris:
"Quodcumque dixerit vobis, facite." 6 Erant autem ibi lapideae hydriae sex
positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas
vel ternas. 7 Dicit eis Iesus: "Implete hydrias aqua". Et impleverunt eas usque ad
summum. 8 Et dicit eis Iesus: "Haurite nunc et ferte architriclino". Et tulerunt. 9
Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam et non sciebat unde esset;
ministri autem sciebant qui haurierant aquam. Vocat sponsum architriclinus 10

et dicit ei: "Omnis homo primum bonum vinum ponit et cum inebriati fuerint
tunc id quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usque adhuc." 11 Hoc fecit
initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam et
crediderunt in eum discipuli eius.